


1



12 DISSERTATIO IN AVGVRALIS 1284,7  
DE  
**PRAEROGATIVA MINORVM** 13  
**QVOAD VSVRAS**  
**EX MORA ILLIS PRAESTANDAS**  
**COMPETENTE**

QVAM  
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO DVCE AC DOMINO  
DOMINO

**CAROLO AVGVSTO**

DUCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE  
ET GVESTPHALIAE LANDGRAFIO THVRINGIAE REL.

CONSENSU  
ILLVSTRIS ET INCLYTI IVRIS CONSULTORVM  
ORDINIS

**PRO GRADV DOCTORIS**

D. XXV. SEPT. CCCLXXXVII.

PVLICE DEFENDET

AUCTOR

**CAROLVS FRIDERICVS ADOLPH. WEBER**  
VINARIENSIS.

IENAE  
LITTERIS MAVKIANIS.




3 MARIONAK Q TATRIS

SERENISSIMO  
DVCI AC DOMINO  
DOMINO  
**CAROLO AVGVSTO**

DVCI SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE ET GVESTPHALIAE LANDGRAFIO THVRINGIAE MARCHIONI MISNIAE PRINCIPALI DIGNITATE COMITI HENNEBERGAE  
COMITI MARCAE ET RAVENSBERGAE DYNASTAE

RAVENSTEINI

PRINCIPI AC DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.



SERENISSIME DVX  
DOMINE CLEMENTISSIME

Quod prima iuris studia proferre valuerunt opusculum  
**TIBI, SERENISSIME PRINCEPS,** deuotissima  
mente consecrare, atque vt illud propitio vultu excipias  
voce supplice orare audeo. Tenuitatis mihi conscius mi-  
nus temere processisse, nisi inflammatus fuerim ineffabi-  
li illa CELSITUDINIS TVAE gratia, quam ob insignem in  
litteras amorem iis se tradentibus indulgentissime praebes,  
de qua si et ego conuincerer per clementem exigui huius  
libelli receptionem, perfectissima demum laetitia de gradu

docto-

doctoris me repleturum ac de felicitate mihi gratulandum  
esse diu arbitratus sum.

Votis, quibus pro Tva, SERENISSIME Dvx,  
CELSISSIMAEQVE DOMVS TVAE diutissima conserua-  
tione et prosperitate parcere nequit probus in patria ciuis,  
supplex inhaereo, quae si exaudierit Numen, TANTO-  
RVM PRINCIPVM auspiciis subditi sua semper ouabunt

CELSISSIMI NOMINIS TVI

HUMILLIMVS ATQVE OBSEQVIOSISSIMVS  
CAROLVS FRIDERICVS ADOLPHVS  
WEBER.



## DISSERTATIO IN AVGVRALIS

DE

PRAEROGATIVA MINORVM QVOAD VSVRAS EX MORA  
ILLIS PRAESTANDAS COMPETENTE.

### §. I.

*Minor aetas eiusque effectus generatim delineatur.*



In genuino sensu iuris Romanorum *minor* intelligendus est is, qui anno vigesimo quinto nondum egressus priuilegiis ob hanc aetatem concessis fruendi facultate gaudet a). Aequitati enim maxime consentaneum habuerunt legumlatores, ut id aetatis adolescenti propter fragile adhuc,

nec

a) Notissima est hoc generaliori significatu minorum distinctio in *pupillos* et *adultos* seu *minores*, *in specie* tales, nec iura, vtriusque acqualia semper in-

A

2

nec ad promouendam sibi utilitatem inuigilandumque aliorum insidiis  
ac fraudi deliberationis sat habens iudicium priuilegiis fauor assignare-  
tur, quorum priuilegiorum numero haud insimo gradu locare in prae-  
rogatiuam, qua intuitu morae a debitoribus eius peractae eiusque vis  
exornatus iste deprehenditur. Iam ad hoc quemadmodum ad qualia-  
cumque aetatis priuilegia intra minorenitatis terminum adspirans in  
promptu quidem iuuatur; ast quia a momento in momentum hoc tem-  
pus currit adeoque fatale est; ultima hora, quae illud implet, frustra  
praeterlapsa, hoc est, absque quod beneficii cauſa in ea adhuc emer-  
ferit, illico virilis vigor completur b), iudiciumque nunc adesse per-  
fectum praeſumtio emergit iuris et de iure, sic ut ne remedium qui-  
dem restitutionis in integrum per quadriennium adeptam post maio-  
rennitatem patens efficiere quidquam valeat, quippe quod datum est  
dumtaxat ad medendum dannis in minorenii aetate originem adhuc  
quarentibus c)

## §. II.

### Minor aetas Saxonica.

Permuliſtis, quibus ius peregrinum ex receptione norma est, Ger-  
maniae territoriis minor aetas consensu Imperantium modo expresso  
modo tacito ad breuius spatium varie reducta conspicitur. Nimiae  
sunt haec particulares sanctiones, quam quae hic recenteantur, ac de  
illis

inueniri liquet. Sed quum in hac materia vberius enodanda generaliter  
fanorem minori praebant istisque verbis promiscue tantum vrantur le-  
ges; et mihi ea vt synonima adhibituro vtrique, pupillo nemipe atque  
adulto, paria priuilegia addicere hoc instituto licet.

b) L. 1. §. 1. L. 3. §. 3. D. de minoribus,

c) L. ult. C. de temp. in int. restit.

illis inde rescere decet d); neque tamen plane inconueniens duco, si in relatione ad nostra territoria minorenitatis Saxonicae mentio paucis fiat, quae secundum IURIS PROVINCIALIS SAXONICI dispositionem lapsu anni vigesimi primi finem adipiscitur, verbis e): Over ein vnd zwintich Jar so is de Man to sien Karen komen. Confuctudo autem, quae haec ipsi constituto vim legis obuio passu adiecit, causa est, eur insuper addita fuerit Saxonica dies sive sex hebdomadarum triumque dierum tempus, quo needum plene effuxo dormiunt maiorennum iura, id quod etiamnum experientia satis superque testatur.

### §. III.

#### *Moraे conceptus, diuisio atque effectus usurarius.*

Priusquam instituti rationem ipsam indagare licet, de mora eique annexis quaedam inferenda sunt. Difficile esse moram definire MARCIANVS putat, quid? quod ab omni illius efformatione absterreri videmur per verba rescripti D. PII Imperatoris, vbi, num mora facta intelligatur, neque constitutione villa neque iuris auctorum quæstione decidi posse autumat, quum magis facta sit quam iuris f). Non negauerim, regulam tradi non posse, qua in singulis casibus, verum

A 2

vide-

d) Legum prouincialium, quibus terminus communis mutatus est, catalogum tradit de SELCHOW in elem. iur. Germ. Lib. I. Cap. I. Sect. II. §. 79.

e) Lib. I. Art. 42. Eiusdem collectionis autor in IURE FEYDALI SAXONICO Cap. XXVI. inter alia quoque refert: Kindere Jarztaile ist drizzen Jahr vnd sechs Wochen von ihrer Geburt, doch bedurfen sie ez dernach, ab sie jeman beteidigen wil umbe ihr Leben, diewile sie zu ihren Tagen nicht kommen sin, daz ist zu eine Jare vnd zu zweyjigen, so muzen sie wol Vormynden nemen einen ihres Herren Man,

f) L. 32. D. de usuris,

4

videlicet haec illave persona in mora existat nec ne, apodictice demonstrandi possiblitas adsit; verum enim uero quum in re facti, qualis mora est, veritas apodictica ad decisionem ferendam in iure praecise haud requiratur, suppetit quod definire valeamus, quando generatim debitor in mora versetur, in singulis autem individuis in specie, ubi haberi nequit certitudo absolute talis, decisio iurejurando fiat, siquidem in infinitum lites pro trahi reipublicae saluti repugnaret. Age in *mora esse* dicemur, quoties quod agendum nobis incumbit, differimus sine iusta causa. Ita et creditor et debitor moram contrahere potest, ille in accipiendo, hic in soluendo. Mora debitoris seu soluendi, de qua vnicet est dicendi ratio, abit in *moram ex persona* siue *regularem* et *moram ex re* siue *irregulararem*, g) Haec quandoque ex immediata legis dispositione adest, si obligatione nata, eriam absque interpellatione, statim non sit praestatio; illa vero oritur, si obligatione existente debitor interpellatus non soluit, ac idem est, haecce interpellatio facta fuerit vere per verba, an fite per lapsum diei solutioni praefixi, ut poterit qui pro homine interpellare dicitur. Inter varios vtriusque morae effectus et is proposito huic ansam praebens latet, ut obstringat debitorem ad *vsuras* pendendas, quae in sensu latiori, quo quolibet emolumentum e mora proueniens designant, tam *vsuras* stricte seu proprie sic dictas quam id quod interest seu interesse amplectuntur. Atque sic dissertationis rubricam interpretemini. *Vsurae proprie tales* sunt certa quantitas pro *vstu* fortis soluenda; *interesse* in aestimatione omnis illius consistit, quod per alterius moram nobis deest h). Propter differentiam inter vtrumque crebro obtinenter de quovis separatim ut agatur, ordo suadet.

§. IV.

- g) *L. 32. pr. D. de usuris.* Exempla morae in re existunt. *L. 1. §. 1. L. 11. §. 1. L. 23. §. 1. D. de usuris.* *L. 26. §. 1. D. de fideic. libert.* *L. 46. §. 4. C. de episcop. et cler.*

h) *HELLFELDVS in iurisprud forensi §. 332, 3129, 1137.*

—

### §. IV.

*Priuilegium aetatis circa usuras morae, et quidem in bonae fidei negotiis.*

His praelibatis transitum facio ad ipsam praerogatiuam ministris intuitu usurarum morae illis praestandardum iure impertitam. Quo magis vero eminentia confessim illucescat, in hac materia pertractanda tali modo versabor, ut iura regulam atque fundamentum constitutia semper praemittam, postea vero ea locem, quae tamquam exceptiones a regula intuenda sunt, puto ipsa beneficia minorenibus indulta. Quantum ad usuras morae, ex iuris Romani placitis inter bonae fidei et stricti iuris contractus ac negotia incidit differimen*i*). Si bonae fidei sunt, usurae ob moram in exsoluendo debentur indistincte, siue promissae fuerint siue non *k*), earumque initium causat interpellatio de obligatione iam enata adimplenda a creditore confecta.

A 3

*i)* Prout negotium quoddam est vel bonae fidei vel stricti iuris, actiones proprie in die, emergentes quoque vel bonae fidei vel stricti iuris esse patescit. Bonae fidei exempla habet §. 28, I. de action., quae sunt: *ex emulo, vendito, locato, conducto, negotiorum gestorum, mandati, depositi, pro socio, tutelae, commodati, pignorarietate, familiae ericiscundae, communii dividendo, praescripsis verbis*, quae de aestimato proponitur, et quae ex permutatione competit et hereditatis peritio. Stricti iuris actiones efflorescunt ex mutuo, constituto, stipulatione, testamento aliisque negotiis. *DIONYSIUS GOTTHOFREDVS ad L. 5. D. de eo qu. cerro loco; vt ratione mutui haud suffragetur I. H. BOEHMERVS iure ecclesiast. protestant. Tom. V. Lib. V. Tit. XIX. §. 6. seqq. et in doctrina de actionibus. Sect. I. Cap. III. §. 33,*

*k) L. 32, §. 2. D. de usuris. III. SCHMIDT in dem Lehrbuche von Klagen und Einreden §. 38. num. 2.*

fecta. Enimvero quia minori actati inuigilantiae consiliique satis non inest ad interpellandum ac evenire idcirco posset, ut eo, ad quod debitor est obstritus, ex ignavia tutoris diu iuuenis carget atque detrimentum inde pateretur; iura debitorem adulto obligatum esse volunt ad praestationem subeundam simulac obligatio prosecta, item ac si statim tum accesserit interpellatio. Ipso iure igitur minorenibus mora sit, vi eius debitor, nisi pecuniarium debitum tum, quem exigibile redditur; ulro persoluat, punitorius subiicitur usuris ab hinc minori ad praestationem usque penitandis <sup>1)</sup>). Indigitat hoc sanctio Imperatorum DIOCLETIANI et MAXIMINIANI, dum fiantur <sup>m)</sup>: in minorum persona re ipsa et ex solo tempore tardae pretii solutionis recepto iure moram fieri creditum est, in his videlicet, quae moram desiderant, i. e. in bona fidei contractibus et fideicommissis et legatis. Quo enim fauorem minoribus indulgeri, quis quaefo inficias ibit?

### §. V.

*Pergitur ratione eorum, quae stricti juris sunt,*

In iis, quae stricti juris inueniuntur, ob moram haud secus usuras dare cogendus est debitor creditori, quam si sunt stipulatae <sup>n)</sup> ita ut ne quidem post acceptum iudicium seu item contestatam res mutatio-

1) CARPZOIVS in iurisprud. for. Rom. Sax. Parte II. Conf. XXX, Def. 23.

n) L. 3. C. in quib. caus. rest. in int. nec. non est. Per verba huius legis et recepto iure — creditum est, se non esse obuii privilegii inuentores ipsi Imperatores fatentur, ac simul per eadem se referre videntur ad L. 26. §. 1. D. de fideicommissis, libert., quae istum a SEVERO Imp. iamiam minoribus esse concessum enunciatur.

n) L. 3. C. de usuris. III, SCHMIDT 1, a, §. 37, num. 1.

tationem subeat o). Attamen ab hac regula deflectunt legata nec non fideicomissa (singularia p), quae quamvis stricti juris reperiantur, propter moram iuxta ea persoluenda factam usuras et non stipulatas cum effectu ab herede peti ferunt. De ea're STRVVIVM bene loquentem auscultare praestat q): in contractibus, inquit, stricti juris nullae usurae, nisi promissae debentur, etiam post litiis contestationem. Excepitur actio ex testamento, qua legata et fideicomissa potuntur, quae, licet stricti juris sit, propter fauorem tamen ultimae voluntatis quad præstacionem usurarum ex mora cum iudicis bonae fidei conuenit. Proinde rationcinari fas est: si in praestandis morae usuris de legatis et fideicommissis eadem est ratio atque in iudiciis vel contractibus bonae fidei, in his autem obligatione nata interpellatio demum moram ideoque usuras intuitu maiorum creditorum parit; idem erit statuendum in legatis ac fideicommissis, quando aditione hereditatis facta, utpote qua honorati eorum postendorum ius quae situm accipiunt, de iis exsoluendis heres admonetur r). Contra si in bonae fidei contractibus minoribus in remora sit solo temporis, quo peti debitum potest, lapsu; heres legata fideicomissaque illis relicta ab aditionis factae instanti haud pendens ut morae reus e ratione vix commemorata plectendus est usuris, donec solutionem reuera præstiterit s).

## §. VI.

o) L. 38. D. de usuris. Neque repugnat L. 35. eodem.

p) Fideicomissa viuuntalia ad hanc exceptionem non pertinent, quia hereditatis petitione efflagitantur, quae bona fidei est. §. 28. I. de actione, in fine.

q) in syntagma, iuris civil. Exercit. XXVII. ib. 45.

r) L. 84. I. 87. §. 1. D. de legat. II. I. 1. C. de usur. et fruct. legat.

s) L. 3. C. in quib. caus. rest. in int. verb. fin. CARPZOVIVS in iuris pro for. Parte II. Cons. XXX, Def. 22.

§. VI.

*De legatis et fideicommissis conditionatis.*

Num, si legata fideicommissa sub conditione ordinata sunt, praferentia quoque decoratus minor exstet? quaeſtio enaſcitur. Afſirmativa mihi arridet ſententia. Sedenim cuilibet iura vſuræ peten-  
dae facultatem largiuntur, quum exiſtente conditione, sub qua teſta-  
tor legatarium vel fideicommissarium honorauit, heres adita hereditate  
ſibi delata de praefanda pecunia legata oblique re relicta fuit interpel-  
latus <sup>t)</sup>. Vere igitur etiam hic priuilegio frui pupillum animo pende-  
re nemo quisquam valebit, propterea quod lege generatim fancitum  
eſſe inueniamus, vt in fideicommissis legatisque mora re ipſa fieri in  
eius persona credatur, fideicommissa autem ac legata in genere ſpecta-  
ta et pura et conditionata concludant. Iam quia ius et reſpectiue  
obligatio ad legata nec non fideicommissa sub conditione poſita tunc  
proficiſcitur, ſi conditio exiſtit <sup>u)</sup>; haec exiſtentia cauſa eſt, cur vſu-  
rae inſigantur morae heredi, qui ſtatiu m obligatione praefandi  
per ultimam voluntatem relicta ſe exonerare neglexit. Neque vero  
aliud obtinere monuerim circa legatum et fideicommissum sub die con-  
ſtitutum, quippe quod pari iure indicatur cum conditionato, modo,  
an dies fit exiſturus, in dubio pendeat.

§. VII.

*Qualitas intereffe et aetatis praerogativa in illo.*

Etsi regulariter in iudiciis ſtricti iuriſ excidit vſuræ punitoriae fi-  
gillatim haud promiffae peritio; aliud tamen de eo quod interest valet,  
<sup>euius</sup>

v) L. 24. D. quando dies legat. l. fideic. ced.

u) L. 5. §. 2. D. qu. dies leg. l. fid. ced.

cuius efflagitatio in quibuscumque contractibus indistincte procedit x), sive nimis stipulatio ideo fuerit celebrata sive non, ac ita quidem, ut in iis, quae praeter quasi contractum, quo obligatio emergit legata exhibendi atque fideicomissa, stricti iuris prostant, solum competit, in hoc autem nec non bonaे fidei contractibus electiue cum usurarum petitione concurrat. Praeterea in eo adhuc dissidet ab usurarum natura interesse, vt tum ad eius perceptionem admitti creditor non possit, nisi damnum, quod per moram debitoris sustinuisse se praedicat, liquidauerit probaueritque, tum ad cerram quantitatem illud non restringatur, sed si id, quod ob iniustam debitoris dilationem abest, usurarum legitimum quantum superare a creditore fuit deductum, impune hanc summam accipere licet, ac obligatus ad eam persoluendam salua iudicis moderatione cogi recte potest. Quodsi ad minorem interesse respectu oculos nunc iniiciamus, eamdem atque de usuris supra euolutum et hic intercedere priuilegii rationem in aprico haeret. Quapropter, nisi obligatione profecta sua sponte debitor fecerit solutionem, tantum, quantum eam isto tempore non esse peractam sua interfuisse minor demonstrabit, iste dare adgetur. Mora enim irregularis in minorenium persona nasci legitur, morae autem effectus quoque est, vt interesse postulari queat, nec hinc usuras solum proprietas, sed etiam interesse adeoque usuras in genere pupillo debitas priuilegiatas eminere facile est ad animaduertendum.

### §. VIII.

#### *Limitatio quaedam.*

Cave tamen putes, quae de usuris ac interesse morae haecenus prolatas sunt, indiscretum servari, atque debitorem adulto obstrictum

vni

x) L. vn. C. de sentent. quae p. eo qu. int.



vni alterius submitti confessim ac tempus obligationis ortae praeterlapsum est; potius hanc molem tum demum sustinebit, si nouerit se debere, cuius intuitu obligationis natae instans habitur. Etenim usurae debentur ob moram, hoc est, ob iniustum praestationis dilationem, iniuste autem praestationem debiti differre profecto dici non potest is, qui ad eam se esse deuinustum ex iusta caussa ignorat. Attamen in bona fide versari debitor non videtur ideoque non omnino expers morae est, si eius culpa factum, quo minus obligationem sciuerit soluendi; ut, quando heres erexit hereditatem sibi delatam, nec curam habuit ultimae voluntatis, qua minori legatum relictum est aut fideicommisum, intipiendoe, quam tamen adesse fugere eum nequaquam potest.

### §. IX.

*Quatenus apud nos in illis, quae Romanis stricti iuris erant,  
usurae morae haud promissae cum successu peti queant?  
determinatur.*

Discremen inter bona fidei et stricti iuris negotia his diebus exoleuisse palam est, neque dubitandum, idem locum occupare iuxta differentiam inter usuras morae promissas et non promissas antea narratam, hoc effectu, ut in iis, quae stricti iuris erant, negotiis usurae ob moram absque distinctione hodie debeantur. Sed si contractum mutui intueamur, ratione usurarum ex mora pendendarum leges Imperii non penitus aboleri velle videntur Romanam dispositionem, licet easdem alio modo opitulari creditoribus ego quidem acquererim.  
Ita RECESSVS IMPERII de a. 1600. y): Soviel nun diesemannach den zum  
Ein-

8) §. 139. Eadem, quae hic Recessus de interesse morae disponit, iam ante eius existentiam in Saxonia Electorali per Ordinationem Torgensem de a. 1583.

Eingang jetzigen Abschieds angeregten Punkten mutui anlangen thut, haben sich der Churfürsten, deputirter Fürsten vnd Stände anwesende Räthe vnd Gesandten erinnert, was derentwegen bey gehaltenen Deputationstagen zu Worms im Jahr achtzig sechs der wenigern Zahl fürgangen, unsere damals anwesende Commissarien auch sich mit thuen verglichen, dass nemlich in dem vorgefallenen Streit, ob nicht in contractibus mutui, damit die Partheyen in puncto liquidationis an unsrer Kayserlichen Cammer-Gericht des langwöiligen Proces enthaben seyn möchten, auch jetzt gemeldt Cammer-Gericht damit nicht überladen, ein gewisses loco interesse a tempore morae zu statuiren vnd zu setzen vor billig geachtet worden, wann der Schuldner in mora restituendi pecuniam mutuam ist, dass er seinem Glaubiger von derselben zeithero (der Vermuthung halben, dass der creditor sein Geld von solcher Zeit an anlegen, vnd zugelassener Weise zum wenigsten vom Hundert fünf wohaben möge) das Interesse zu entrichten vnd gut zu machen schuldig seye, welches wir uns auch gnädigst gesaffen lassen; So ordnen vnd wollen wir nachmals, dass solch interesse a tempore morae erstattet, vnd derentwegen den Creditörn fünf Gülden von Hundert bezahlt werden. Quum enim interesse, quod in mutuo usuris morae non promissis solum obtinet, ob difficultatem probationis saepius hard adscendat quantum usurarum, et idcirco testante RECESSY diurnae lites fuerint; sanctum est, ut ex probabilitate, quod creditor cum pecunia iusto tempore restituta lucrari potuisset quinque pro singulis centenis sicue quantitatē usuris hodiernis aequalē; statim interesse in hac quantitate absque liquidatione ac demonstratione petere creditori indulgeretur. Si itaque lex Imperii tolli volueret odium usurarum in mutuo, haud opus fuisset,

1583. fuerunt constituta, cuius verba hue quadrantia leguntur apud CARPOVIVM in respouſ. iur. Elecotor. Lib. IV. Rep. L.; immo ita tum fuisse pronunciatum in Thuringiae foris testis est COLERVUS de processu executivo P. I. Cap. X. num. 99.

ut 5. p. C. tamquam interesse perseguiri ticeret, sed aequiparari potuisse  
mutuum reliquis contractibus, utpote quibus eadem haec quantitas  
tamquam usura debetur. Neutquam vero per hanc aequalitatem quan-  
ti differentiam inter usuram ac interesse sublatam putes, dum ius est  
creditori 5. p. C. interesse loco poscendi, non obligatio, adeoque si hoc  
quanto non delectatur, maius demonstrare integrum manet, ut ver-  
ba RECESSVS sublequentia firmant: oder aber da dem creditori solch  
fünf Gulden nicht annehmlich, sondern er vermeynen wolte, tam ex lucro  
cessante quam damno emergente ein mehrers zu fordern, dass ihme alsdann  
sein gantz Interesse zu deducirn, gebiütllich zu liquidirn vnd zu bescheinern,  
vnd der richterlichen Erkäuntnis darüber zu gewarten unbenommen seyn  
soll.

## §. X.

*Si pactum deest, usurae pupillares non nisi ex mora proficiuntur.*

Praeter conuentionem et moram solam aequitatem nonnumquam  
sufficere ad usuras, quas legales dicunt, consequendas alii affirmant,  
alii maiori iure negant, quia aequitas sola, si lege non est approbata,  
legitimum usurae fundamentum producere nequit, approbata vero non  
est, nisi pactum aut mora delitescat, in legibus, quas pro fulcienda ad-  
nuntiantes proferunt z). Ac idem sine discriminé statuendum esse mihi  
persuadeo de usuris minori praestandis, quamuis CARPOVIVS emto-  
torem, qui possessionem rei pupillaris venditae naestus pretium non pe-  
penderit, ad usuras pretii teneri arbitretur citra conuentionem et mo-  
ram, eo quod iniquum foret, ut eiusdem temporis retineat et fundi-  
fructus.

z) Perill. WALCHIVS in controvrsi. iur civil. Sect. III. Cap. IV. Membr. 1.  
Subj. I. §. 14. p. 326.

fructus et pretii usuras a). Cuius opinionis tutelam suscepit ob Imp. DIOCLETIANI ac MAXIMINIANI disposita b): curabit, aiunt, praeses prouinciae compellere emtorem, qui naestus possessionem fructus percepit, partem pretii, quam penes se habet, cum usuris restituere, quas et perceptorum fructuum ratio et minoris aetatis fauor, licet nulla mora intercesserit, generauit. Ast enim uero ultima legis verba ad omnem moram extenderet non decet, quin potius, quod recte ZANGERVS sentit c) de mora ex persona sunt intelligenda. Ipsius enim huius sanctionis summa fauorem minoris aetatis in contemplationem venire loquitur, si emtor possessionem rei pupillaris venditae naestus pretium non persoluit; quamle vero minoris aetatis fauorem aliter hic cogitare possibile est, quam quem ipsi dicti Imperatores minori alibi tribuunt ut mora in re illi fiat a debitore pretium tardius soluente constituentes d). Nonne igitur contradicendum esset contendere, in verbis legis recitatae finalibus quamlibet moram intelligere voluisse Imperatores, quum tamen ipsi per verba: minoris aetatis fauor generauit, tamquam optimi verborum suorum interpres moram a debitore pupilli et sic etiam ab emtore rei pupillaris fieri irregularem haud ambigue voluntatem prodant? Mora autem interueniente non est, ut immediatam legis dispositionem seu solam aequitatem cogitare necesse habeamus, quia mora sola sufficiens usurae petendae causa est, nec inde refert, an res frugifera sit

B 3

nec

a) in respns. iur. Eleft. Lib. IV. Resp. LII. Hanc sententiam nuper adhuc defendere conatus est ADOLPH. DIETER. WEBERVS in commentariis de usuris indebitate solut. earumq. in fortem imputat. §. IV. codem fundamento natus.

b) L. 5. C. de aet. emti.

c) in tr. de exceptionibus. Parte III. Cap. XXV. num. 64.

d) L. 3. C. in quib. caus. rest. in int.



nec no e). En tibi rationem, quare legi discussae hunc sensum inesse arbitrarer: si emtor rei pupillaris possessionem adeptus pretium non soluit, ob moram ex re quae enasci conspicitur circa minorum personam vsurae sunt praestandae, vt nullus mora personalis interuenierit, cui adhuc robur accrescit, quod perceperit emtor fructus rei venditae.

### §. XI.

#### *Immunis minor est a moratorii vinculo.*

Moratorium, quod aere alieno obrutus ab Imperante accipit, hanc efficaciam habet, vt durante tempore, ad quod indultum illud deprehenditur, creditores ab exactione tam fortium quam usurarum abstineant, eoque demum effluxo sit facultas usurarum, etiam quae durantibus induciis excruevere, petendif). Sunt autem variis creditores, ad quos moratorii debitori suo imperiti vis se haud diffundit, inter quos primas sane minorenem enunciare non haesito. Praebet ad hoc demonstrandum analogia iuris argumentum. Princeps enim eiusmodi rescriptum impertiens eatenus id impertitus esse praesumitur, quatenus privilegiis, quae unus alterque iam possidet, non derogat; quis autem quoquo in ambiguum trahere valebit pupillum privilegii sui, vi cuius quoduis damnum ab eo declinandum est, expertem facturum esse, si antequam litterarum terminus occurrit, quiescere debeat usurarum solutio? Etenim tutoris est, usurarum a debitore pupillari flagitare, acceptas iterum tuto collocare aliove modo utile pupilli promovere, quae singula exsilararent, ubi usurarum haud prius quam finito moratorio persoluerentur. Neque est, vt iniuriam debitor obiciat,

mi-

e) L. 5. C. de paf, inter emt, et vend.

f) de LYNNCKER in resolution, disceptat. forens. Resol. 250. In Saxonia Eleitorali hac de re peculiaris lex est Decisio Electoralis XXX.

minorem, etiam si locuples est, induciarum vinculo non stringi, quandoquidem id genus litterae non nisi miserabilibus personis tradi soleant calamitate in infortunium detrusis. Nam tum leges haud disponunt, quo minoribus pauperibus de danno vitando cerrantibus tantum succurratur, tum licet diuites sint, miserabiles et ipsi reputantur homines animi ingenique respectu, quae miseria maiori in iure favore fruuntur, quam quae facultatum inopiam concernit g). Ex his itaque non poteris non elicere consequens, aduersus minorennes creditores nulla vi munitum esse moratorium rescriptum a debitore impetratum, sed salua eorum iura manere item ac si omnino non fuerit concessum.

### §. XII.

*Tutor in elocanda pecunia pupillari negligens usuris subiaceret.*

Insigne ac strenuum est quoad patrimonium pupillare tutoris officium, e cuius neglectu saepius usuris se subtrahit morae, in quas alius tutor vel curator in pari casu forsitan non teneretur. Vbi obligationem tutoris circa paratam pupilli pecuniam e Romani iuris constitutis diuidicamus, iura nouellarum a digestorum legibus magnopere distant. Secundum has tutori incumbit, ut nummos ad minorem spestantes intra sex menses a suscepso munere computandos, aut postea dato duorum mensium laxamento sub idoneis nominibus collocet possessionibus emendis impendat. Sin hoc intermitat, usuram ex propriis refundere minori cogendus est h), modo deductis, quae ad sustentationem aliosque necessarios usus requiruntur, sufficiens corradi potuerit summa. E contrario alias argumenti sunt, quae in nouellis ordi-

g) STRYCKIVS diff. de abusu rescriptor. moratori. Cap. III, §. 6.

h) L. 7. §. II. L. IJ. D. de admin. et peric. ius,



ordinata de hac re leguntur, siquidem hic remissa est necessitas foenerandi, ni reditus ad alimenta congrua pupillo praebinda suppetentes deficiant, tunc de mobili substantia, quantum opus est, vendere pecuniamque inde redactam in sortem apud alium elocare constringitur, Sin absque hac necessitate usuroras exerceat, duorum mensium quidem inducias profundit, mutui vero periculum ad eum pertinet, commodum ad minorem i). Quamquam pandectis nouellas derogare nesciunt utrumquam dubium esse possit; illas tamen his obuio passu valore in praxi excellere iurisconsulti affirmant tantum non omnes, k) ob utile quidem, ni errore ducor, ut plurimum in minorem et collocatione tuto effecta redundans. Qua de causa ob praetermissam idoneam foenerandi emendique fundos copiam hoc aeuo ipse tutor usurarum mole grauatur; praesumtio tamen pro eo est, eiusmodi haud adfuisse copiam, quo sit, ut asserenti in casu negationis probatio incumbat, quae facilis erit, si proprios numeros tutorem bene hoc interuallo credidisse patescat l).

### §. XIII.

#### *Vis depositionis propter elocationem summae pupillaris a tute peractae.*

Euenire interdum potest, ut ad collocationem pecuniae pupillaris euitandam depositio eiusdem a tutele fiat, et quaestio iam incidit, utrum patente postmodum idonea in sortem vel immobilis comparationem elocandi occasione ab officio ille liberetur suo? Distinctione hoc deci-

i) Nov. LXXII. cap. 6. Autb. Nouissime C. de admin. tutor.

k) WISSENBACHIVS in exercitat. ad pandect. Disput. LI. §. 6. STREYCKIVS in cautel. contract. Sect. III. Cap. II. §. 3.

l) L. 13. §. 1. D. de admin. et per. tut.

17

decidendum erit. *Aut enim depositionis actus ultro a tute r factus est, aut non, sed iussu magistratus.* Illic custodiae quin arguitionis futurae ac si ipse pecunia deposita usus fuerit, tutor absolvitur, verum non efficitur, ut patescata bona post depositionis tempus collocandi copia a vinculo tutorio sit immunis, ideoque ea neglecta, nisi ipsum iudicium utilitatem pupilli hec modo curauerit, usuris alligatur m). Hoc oneret tamen premi non videtur, ubi depositionem protestatio fuerit comitata iudexque acquieverit. *Hic,* quando scilicet depositio iudice iubente celebrata est, ulterior tutoris obligatio ad elocandam adque usuras in casu omissionis infringitur. Sin magistratus ut deponeretur praecerto obsequium haud fuerit praesitum, obligationem in statu quo manere per se liquet, et sic quidem, ut depositione sub comminatione poenae cuiusdam iniuncta, haec debeatur, si intra tempus praefinitum peracta non fuerit depositio, salvo iure et usuras exigendi, si vel maxime occasionem elocandi interim patescantam omiserit. Romanis praetores quandoque depositionem fieri iusserunt sub minatione usurarum in cuncta contumacia dandarum; licet foenerari tum pecunia non potuerint).

#### §. XIV.

##### Tutor in usuras usurarum tenetur.

Anatocismum vix ac ne vix quidem sapit adeoque usurae usurarum indulgentur, quum ex parte tertii indolem fortis assumunt. Itaque non difficile est intellectu, tutorem pupillo suo usuras debentem nec rite eas soluentem earum iterum usuras agnoscer coegeri, ideo quod duplice personam hic representet, tutoris nempe atque debitoris.

m) L. 7. §. 3. D. de adm. et per. tut.

n) L. 7. §. 7. D. de admin. et per. tut.

18

Sicuti vero tutoris vniuersiusque est, usuras a debitore pupilli toris efflagitare et exinde commodum illius pro virili quaerere; ita dubitari non potest, quin erga se, si ipse pupilli sui debitor est, id aequo obseruet, quid? quod adhuc plus, dum aduersus alium in exsoluendo socordem actionem mouere necesse habet, non idem aduersus se <sup>v</sup>). Iam quum usuras, quibus minori obstrictus inuenitur, fibimeti si velut tutori exhibere atque in accepta rationum redigere possit, quo magis extinguantur; haud aliud erit assumendum, quam quod eas statu die vere praefiterit ac deinde rursus ut sortem in suum usum verterit. Nonne enim parui interesse potest minoris, num usuras tutor seria intentione, ut nunc istius sint, vere dependerit, sed paullo post eosdem nummos, quum characterem sortis iam induerint, iterum auferens in propriam utilitatem adhibuerit; an vero eas statim absque solutione in ynu secum retinuerit? Nam priori casu probatione non eget, ad usuras illum obligari usurarum earum, quas iam soluerat, deinceps vero iterum inuasit; quidni in posteriori quoque? solus enim soluendi vel non soluendi tutoris animus pupillo praeiudicare nequii. Sigillatim gratiae huic sententiae accedit pondus, quod, si contrariam ambires, impune tutor de pecuniis pupilli literaturus esset; nae cogitatio iuri raditus repugnans <sup>v</sup>). Quae quum ita sint, quaindi tutor in tali solutionis contumacia perseuerat, cuiusque anni cursu usurae, quae per hunc annum debebantur, pro solutis ac de novo inuasis habendae sunt, idque efficit, ut usurae retentae sequenti anno tamquam fors separata considerentur et hinc viuras pariant a tute praeftandas, quod per separatas rationes, quas eine Stufenrechnung vocant, ad liquidum perdu-

ci.

<sup>v</sup>) L. 9. §. 3. D. de adm. et per. ruis.

<sup>p</sup>) L. 38. D. de negot. gest. BRUNNEMANNVS in decisionibus. Centur I. De cisi. 73.

citur. Illustrations gratia adiicio responsum Ordinis Istororum Wittebergensis a WERNHERO traditum q): So erscheinet daraus allenthalben so viel, daß Sempronius auf jedes Jahr eine sonderliche Rechnung zu fertigen, und diejenigen Zinsen, so er jährlich dem Pfleghofen schuldig worden, zum Capital zu schlagen, und davon in folgenden Jahren wiederum Zins zu verschreiben pflichtig. V. R. W.

## §. XV.

*Vsurae pupillares nonnumquam maxime sunt.*

In regula *vlurae minoribus debitac* sunt *vulgares pro modo regio-*  
*nis, nisi quod in casu, vbi tutor nummos ad illos pertinentes proprio*  
*ausu seu sine contutoris aut iudicis permisso in suum *vlsum* conuerit,*  
*centesimae h. e. 12. p. C. soluantur oporteat r).* Conuerit autem  
pecuniam pupillarem in suum *vlsum* tutor, non modo si paratam in-  
uadit, ut praedium sibi inde comparando s); verum etiam si *vluras*,  
quibus ipse adulto obstrictus est, in re sua detinet, quia ex ratione pa-  
ragr. praeced. declarata solitae et indolem fortis amplexae putandae  
sunt, simulac dies venit. Neque de iniuria conqueri tutor poterit,  
quod *vlurae illae, quas de retentis praestare debet, maximae sint et ma-*  
*gnus onus iam foret, si *vlurae* *vlurarum* ordinariae dependerentur.*  
Sed enim *vlurae* *vlurarum* praestantur, quoniam de re pupillari lucrum  
captare tutor prohibetur; quod vero ordinarium *vlurarum* quantum

C 2 were on the first coming exce-

q) in select. obseruat. forens. Parte VIII. Obs. 397.

7) L. 38, D. de negot, gest, L. 26, §. I. C. de usuris, L. 54, D. de adm, et per rut. Has usuras illis ex mora anumero, quia pecuniam alienam inuidens in mala fide versatur, malae fidei possessor autem, simulac talis esse coepit, in mora restituendi est.

5) L, 3, C. arbitr. tutel,



excedit, poenae vice luitur, quod fidem, quam ab omni lucro absti-  
nens praestare debuisset, violauerit. An hodiecum centesimarum ra-  
tio sit habenda, de eo notissima est controversia inter magni nominis  
viros, nec speciosa esse argumenta eorum, qui in negatiuam abeunt,  
infiandum est <sup>i)</sup>). De valore iuris Romani circa usuras usurarum ini-  
nus adhucdum restat dubii.

### §. XVI.

*Quod usurae pupillares in Saxonia una cum forte in concursu lo-  
centur, praerogativa non est.*

Nemo nescit, in concursu Saxonia orto non, nisi qualibuscum-  
que creditoribus satisfactio quoad fortis fuerit praestita, usuras exsol-  
ti. Hinc priuilegii speciem prae se ferre videtur, quod ex disposito  
DECISIONIS ELECTORALIS IX. usurae aut ob neglectam summae  
pupillaris elocationem, aut ob conversionem illius in propriam utilita-  
tem a tutore debitae in concursu circa eiusdem bona durante adhuc  
rutela patefacto simul cum forte locentur. Sic enim memorata lex:  
*Wann nun solcher gestalt (scil. in dictis duobus casibus) ein Unmündiger  
bey seinem Vormund Capital und Zinsen zu fordern, so sollen hinführo, weil  
die Zinsen nicht ex mutuo, sondern aus der verwalteten Vormundschaft herriih-  
ren, an ihm selbst privilegiirt seyn, und dem Unmündigen, damit derselbe nicht in  
Schaden komme, als ein Interesse gebühren, beydes zugleich in eine Classe  
oder Ordnung, wann auch die andern Gläubiger ihre Capitalien nicht erlan-  
gen, angesetzet und bezahlet werden.* Ut ut vero ipsa huius sanctionis  
verba priuilegii colorem magis tueantur, tale tamen hic reuera lateſee-  
re perperam contenditur. Nam quum has usuras non ex mutuo sur-  
gere,

<sup>i)</sup> Vtriusque opinionis affectas quosdam videre licet apud HELLEFELDUM  
in iurispr. for. § 431. not.

gere, sed ex quasi contraetu tutelae, ipsa lex loquatur, vsuras autem ex mutuo non prouenientes una cum sorte petendi in conursu cuique creditor i pateat facultas; facile perspicitur, aequale ius inter omnes esse creditores vsuras non ex caufa mutui querentes, nec inde pupillo praerogatiua relictam sentiri. Tum hoc errore nos adhuc exsoluit ORDINAT. PROCESS. ELECTOR. SAXON., quum enunciat u): derer Zinsen aber sollen sie (i. e. creditores hypothecarii ac priuilegiati) sodann erst, wenn alle Gläubiger, vnd also auch die Chirographarii, derer Haupt-Summen vergnüget, ihrer Ordnung nach bezahlt werden: Doch hat solches Kraft angezogenen Auschreibens allein in mutuo Statt. Hic enim extra mutuum cunctis creditoribus hypothecariis et priuilegiatis vsuras cum sorte locare Elector indulget, non distinguens inter maiores et minores.

### §. XVII.

#### Vsurae ob negligentiam in exigendo.

Debitores solvendarum vsurarum socrdes adhortari ad obligacionem suam implendam tutoris quidem esse liquet, tantum tamen abest, vt hoc intermittendo illum statim se subtrahere vsuris recte colligatur. Quando post interuallum vsurarum debitarum persolutionem debitor adhuc suscipiat, tunc superuacaneum foret defendere, tutorem quoque ad vsuras deuinci, licet forsan debitor iusto tempore soluturus fuisset, si eum tutor interpellasset, quia interesse, quod vsurae hic denotarent, lucri cessantis peti nequit, nisi ex damno emergente ortum, damnum vero emergens sane non adest, si vsurarum sero solum a debitore datarum iacturam pupillus non facit. Quare tum demum vsuras e suo marsupio refundendi tutorem persequetur necessitas, quum eius incuria factum, vt vel in totum vel in tantum non amplius fatis-

C 3

facere

u) Tit, L, §. 2.



facere obstrictus valeat, qui tamen, quum exactio fieri oportuisset, soluendo fuit x). Sed enim uero in commodo hoc destituetur, si notorium est aut probatur, ita debitorem bonis fuisse exutum, ut, tametsi accesserit interpellatio, praestare praestandum iam tunc non potuisset; attamen et hic culpae tutorem argui non posse supponas, quod in mutuo celebrando forte securitatem minoris meditatus haud fuerit, ut hypothecam non stipulando.

### §. XVIII.

*Quid fides habita efficiat, interrogatur.*

Quando creditor fidem de pretio habet, eo ipse in solutionis protractionem coit, atque idcirco ob defectum morae ex parte debitoris visurae pacto speciatim non reseruatae nulla ratio habebitur, donec nouam interpellatio pepererit moram y). Hoc quum intelligi oporteat de eo, qui iuri suo vel alieno renunciandi potestate pollet; perspicuum est, ad tutorem de pupillari et pupillum de sua pecunia fidem habentem non eadem quadrare principia, sed nihilominus una cum pretio visuras morae praestare debitor coerebitur, item ac si creditum non fuisset. Etenim quia iuxta minorum personam priuilegium eminet, ut ipso iure morosi debitores reddantur, si tardius, quam obligatio constitueretur, solutioni se subtraxerint; huic priuilegio per factum suum, fidem nempe habitam, renunciare incapax est tutor, nec inde is renunciari illi voluisse praesumitur z), Neque tamen eiusmodi actus tuto-

x) L. 15. D. de admin. et per, tut. Tutor enim culpam leuem praestat. Si vero nomina non ipse contraxit, et si susceptae tutelae instanti idonea fuerunt, non nisi ad damnum e dolo aut culpa lata proueniens reparandum obligatur, L. 2, C. arbitr, tut.

y) ZANGERVS de exceptionibus. Parte III. Cap. XXV. num. 61.

z) BRUNNEMANNVS in decisionibus, Centur, III. Decis. 40.

rius erit invalidus, siquidem et detrimentum ex eo minor non capit et non inutilis saepe est debitori, quod, quamvis usurarum morae non absoluatur, opus tamen non sit, ut illico pretium pendat. Quae cum ita se habeant, in tutorem, quamdiu quasi bonus paterfamilias egit indulgens tali, qui ratione fortis aequa ac usurarum facultatibus pupillo sufficientem praefat securitatem, non poterit deuolui usurarum onus; quod contra fecus se habere nemo inficias ibit, si omissae debitae diligentiae iuste accusetur, vtputa si aut securi intuitu ab initio satis non iniugilauerit fidem habens inopi, aut postea debitorem opibus labi intellectus mature eum haud conuenerit, perque id factum, ut ne satisfieri amplius pupillo queat. Quodsi ipse adolescens non arcetito tutore fidem habuerit, haec actio eodem modo sustinebitur atque de tutore vix euolutum, quoniam nec hic renunciatio iuris coniici adeoque et hoc factum ita commode explicari potest, ne inde immineat prae*dicium.*

### §. XIX.

*Praerogatiuae morae ex re expers est veniam aetatis nactus in iis, quibus cum minore comparatur.*

Iuuenis, qui veniam aetatis nanciscitur, iura accipit maiorum, nisi quod minori iuridice tali adhuc similis sit in eo, quod ad immobilia alienanda decretum iudiciale impetrare debeat. Hoc itaque respectu soli quæstio indaganda venit, anne circa venditionem rei immobilis rite concessam priuilegio morae ex re fruatur veniam adeptus, eo effectu, ne fides de pretio habita impedit, quo minus usurae morae a tempore traditae possessionis simul cum pretio postmodum persoluantur ab acquirente opus sit? Negatiuam ab ipso IUSTINIANI sancito derivare placet a) eos, inquit, qui veniam aetatis a principali

a) L. 3. C. de his qui ven. aetas.

¶

clementia impetraverunt vel impetraverint, non solum alienationem, sed etiam hypothecam minime posse sine decreti interpositione rerum suarum immobilium facere iubemus, in quarum alienatione vel hypotheca decretum illis necessarium est, qui necdum veniam aetatis moruerunt, ut similis sit in ea parte conditio minorum omnium, siue petita sit, siue non, aetatis venia. Si proinde Imperator vult, ut in expetendo circa alienandas possessiones decreto veniam nactorum ac minorum sensu iuridico talium pars sit conditionis; eo voluntatem ingenue prodit, quod ad alia priuilegia minoribus impertita et circa alienationem quoque sepe exserentia hanc conditionis similitudinem trahi nolit, certe alias generatim sanctitatus fuisse ac fancire debuisset, ut in priuilegiis aetatis circa venditionem versantibus aequalis deberet esse ratio minorum et venia ornatorum, quod quum haud fecerit, haec dispositio ad unicam priuilegii speciem, necessitatem nempe decreti in alienando immobilis restricta ad alia non extendenda est. Equidem contrarium ex ipsa huius fanciti ratione manare videtur, quam in eo esse putarem, ne ob lubricitatem iudicii, quae adhuc latefcere potest, licet caussae cognitionis, num animi morumque probitas adsit, veniam praecedat, iuuenis ea patrimonii parte se ipsum temere priuet, quae non facile corruptibilis certos reditus edit. Atqui ratio praerogatiuae morae in re minori tributae in iudicii lubricitate latet. Ergo ob paritatem rationis veniam nactus praerogatiuae morae ex re circa venditionem immobilis fruitur. Perperam. Imperator enim decretum de alienando requirit, non ideo quod quasi in alienanda possessione imperfectus veniam confectorum sit animus, sed quod caussae cognitione licet instituta talis adesse ac tunc ex incongrua deliberatione non necessario facta alienatio facultates reditusque multum minuere possit. Iam vero quia hoc, utrum venditio friuole suscipiat nec ne, non per se patet, sed in omni paene casu aliqualem inquisitionem postulat; optime prospici arbitratus esse videtur legislator,

fi

si in quois voluntarie alienandi immobilis euentu cognitio a iudice fiat, et ubi iustum caussam adesse apparet, in venditionem consentendum esse per decretum declaretur.

### §. XX.

*Ius minoris, si tutor sortem sine usuris morae accepit.*

Ad usuras morae petendas specialis actio non datur, sed actione contra contractu, unde emergunt, flagitandae sunt, quum obligatione ex forte proueniente tamquam principali per solutionem perempta obligatio ad usuras morae expresse non reseruatas ut accessoria istius simul perempta censeatur. Fac tutorem a pupillari debitore sortem accepisse absque usuris ob moram debitum, reseruatione omissa huius socordiae expensum minorem ferre nemo evincet, quin in ipsius electione est, num tutorem actione tutelae directa conuenire, an contra ipsum debitorem in integrum restitutione experiri velit b). Et quamuis debitor non facta usurarum reseruatione ne postea inquietetur ius accipiat; utilitas tamen pupilli, incontinenti restitutione se iuuari, contradictionem respuit debitoris, idque magis, quod falsus huic maneat actione a minore cessa contra tutorem regressus. Par ratio est, si sententia sortem sine usurarum morae memoratu minori adiudicans incuria tutoris, quod remedia hanc interposuerit suspensua, in rem iudicatam transit.

### §. XXI.

*Quomodo usurae tuto soluantur.*

*Alio effectu minori ipsi, alio eius tutori usurae persolutio fit.  
Jbi liberatio contingit, quamdiu nummi sive in natura sive utiliter in*

b) L. 3. C. si tut. l. cur. interc.

patri-

D

~~~~~

patrimonio pupilli supersunt, et doli exceptione subimoueretur hanc pecuniam sub colore iniuste factae solutionis adhuc petens *c*); illis e contrario in totum vel pro parte vrt male deperditis, laesioni huic in integrum restituo mdeatur sibique debitor adscribat, quod pecuniam tradiderit veri similiac eam deperdituro exstantibus aliis tuto solutionem peragendi modis. Neque praesentia tutoris in tali praestationis actu restitutionis beneficium excludit *d*). *Hic*, quando scilicet vslurae tutori solutae sunt, plenissime, hoc est, ita ut deperdita licet pecunia debitor non amplius teneatur, liberationem fieri iussit lusitanus, si vslurae biennales metas centunque solidorum quantum non superent; alioquin ad omnimodam securitatem ut in soluenda forte decretum iudiciale requirit *e*). Verum quia nunc temporis in foro fortis solutionem tuori confectam absque decreto tutissimam practici habent *f*); id adhuc magis de vsluris solutis indiscretim valere perspici facillime potest, sic ut quiuis effectus ex theoria Romana solutioni cum decreto coniunctae tributus et hic intret ideoque statim euangelcat resarcienda summae ex post dissipatae obligatio. Tutori quoque honorario ac notitiae caussa dato secure iam exsoluetur in casu, vbi administratio illis non denegatur *g*), tunc nempe, si res moram non fert aut gerentes officio suo satisfacere supersedent.

### §. XXII.

#### *Vis oblationis et depositionis erga minores.*

Quum creditor debitum a debitore acceptare renuit, regula servatur, oblationem debiti sive realem sive verbalem rite i, e. in insta quan-

*c) L. 15. D. de solutionibus.*

*d) L. 2. C. si tutor l. curat. interven.*

*e) §. ult. f. quib. alien. licet. L. 25. et 27. C. de administr. tut.*

*f) HELLFELDIVS in iurisprud. forensi §. 193<sup>1</sup>.*

*g) L. 15. §. 1. et 6. D. de solution.*

quantitate et qualitate, congruo loco et tempore factam initium usurarum morae impedire, cursum autem earum, quae iam exoriri coepiunt, nil nisi oblationem cum obsignatione atque depositione loco publico, qui iudicium hodie esse consuevit, facta coniunctam sistere. Quatenus haec quoad pupillaria actua obtineant, iam videamus. In minorum persona una cum obligationis ortu moram gigni dubio caret, et hinc inde solam debiti oblationem serius ac obligatio proficisceretur factam neutiquam usuras inhibere, eo quod currere iam inceperint, facile colligendum est. Neque vero quaevis debiti pupillaris oblatio rite licet effecta operabitur, quo minus usurae incipiat cursus, dum ea quidem optato procedit, si tutor *b)*, non item si minori facta, siquidem huic minus tuto soluitur damno inde oriente, ergo nec tuto offertur, quin restitutionis auxilio uti queat ad laesionem, quae hic in propatulo foret, auertendam. Depositionem praevia oblatione ac consignatione factam quod attinet, ea etiam erga minorennes adipiscitur effectum, ut cursus usurarum infringatur *i)*; quid? quod si tutor forte non est, ea et sine oblatione ex sententia succedit, quia haec adulto ipsis peragenda sieque superbaqua foret *k)*. Discutere adhuc quaestio nem me accingo, an tutor, qui pupilli sui debitor est, ad cursum usurarum impediendum depositione vtatur necesse sit? Ea haud esse opus, potius sufficere reputarem, quod debitum, quo pupillo devinctus est, rite sibi ut tutori exsoluerit, in libro rationum inter accepta redegerit monitisque illius intuitu sibi propositis satisfecerit, quia debitor in genere ad usuras inhibendas depositione non indiget, si tutor debitum pupillare, quod iste soluere vult, accipere haud recusat, nec ratio

D 2

cognoscere

*b) L. 9. C. de usuris.**i) Ibidem in fine.**k) L. 7. §. 2. D. de minorib. L. 56. §. 1. D. mandati.*

cognoscitur, quidni idem de tute r pupilli sui debitore valeat. Propter incusationes tamen, quae iuxta solutionis tempus fieri possint, verene scilicet tum, quum in rationibus tutor praedicit, facta illa fuerit nec ne; consultus is agere videtur, si debitam pecuniam deponit aut contutori, ubi quis est, persoluit. Quomodo autem, si ratione quanti incertitudo adest, ita ut quid soluere vel deponere debeat ipse tutor ignoret? Hie ad impedendum usurae cursum sat est vimque depositio- nis habet, quando pupillum ad tutelae contra se agendum prouocauerit et dissimulatione facta voluntatis rationem iudici declarauerit h). Ac recte quidem sola haec verbalis oblatio depositionis instar est, quia tum per actionem quantum incipit fieri certum ideoque ad eam prouocatus experiri tardans in mora versatur, quae noxia quidem ast non proficia esse debet, tum acquisitati lege agnitae repugnaret, si creditori debito rem sub usurarum iugo pro lubit u detinere liceret, quin eadem libe- ritas debitori in soluendo concedenda est ac in exigendo creditori indul- getur.

### §. XXIII.

*Plures tutores quatenus in usuras condemnentur.*

Quamvis ratione modi obligatio contutoris ad usuras, quas a col- lega debet, praecepui nil habeat praec illa, quae intuitu cuiusque debiti ex socordia communi vel collegae enati iniuncta deprehenditur; de ea ta- men hic quoque agi non abs re erit. Refert, utrum plures tutores pro indiuiso administrauerint, an vero diuisim. Illuc in solidum quili- ber tenetur, ac unum eligere, qui actione ante solutionem contra re- liquos cessa totum praefter, integrum est minori m). Hic, vicibus uni- cui,

l) L. fin. C. de usur. pupillar. CARPZOVIVS Lib. V. Resp. C. num. 36.

m) Quae actionis cessio denegatur, si ex dolo communiti tutor conuentus totius solutionem fecit, quia non est communicatio iusta damni ex maleficio, L. I. §. 14. D. de tut. et rat. distab.

enique a iudice testatoreue assignatis neuter de altero, sed quisque de sua tantum parte respondere debet; nisi alter alterum male officio fungi videntem suspicionis accusare intermisserit <sup>n)</sup>; e contrario, vbi tute-  
lae negotia tutores inter se priuatim diuiserunt, nihil secius ad cunctos periculum spectat, quum adolescenti ausu suo praeiudicium inferre non valuerint <sup>o)</sup>; si tamen male gerens soluendo exstat, recte is primus ex-  
ciendus est eiusue heres <sup>p)</sup>, partim ne duplex processus gignatur, al-  
ter inter minorem et omnes tutores, alter inter tutores et male fun-  
dum, vtpote qui ex pacto solus ad damnum sua culpa profectum fe-  
rendum devinceretur; partim quia hand nocet iuueni, si aduersus ma-  
le versatum soluere valentem vnicce agit, reliquis autem prodest. Col-  
lega pro collega numquam tenetur, vbi male gerens tempore officii  
depositi solutionis praestandae capax fuit <sup>q)</sup>.

#### §. XXIV.

*Subsidarie tutor honorarius nec non magistratus ad usuras, quas  
gerentes debent, soluendas est obligatus.*

Tam priuilegiatus minorenris est, vt adeo tutorem honorarium,  
qui et hoc insoluendo existente magistratum ob detrimentum e ne-  
gligentia administrantium et sic quoque ob usuras ob horum moram  
enatas utiliter continenire possit, nisi sufficienter vt leges volunt inuigi-  
lauerint. Tenentur tamen tantum in subsidium, vbi minor aliter suum  
consequi nequit, hancque ob caussam necdum excussis tutorum admi-  
nistrantium atque fide iusorum nec non omnium horum heredum fa-  
ulta.

<sup>n)</sup> L. 7. §. 14. D. de admin. et par. tur. L. 2. C. de usur. pupill.

<sup>o)</sup> Has distinctiones siflit. L. 2. C. de diuid. tutela.

<sup>p)</sup> L. 3. C. de diuid. tur.

<sup>q)</sup> L. 1. C. de diuid. tut.

L M 44

cultatibus conuenti recte beneficio ordinis vtuntur r). Ac inde est,  
quod eiusmodi actionem subsidiariam dicant. Nunc temporis discri-  
mine inter maiores et minores magistratus, quale Romanis obtinebat,  
sublato quiuis iudex huic obligationi subiicitur, immo maior eiusdem  
obligationis ratio est, eo quod iam quotannis, non finito demum tu-  
telae munere rationes reddantur oporteat, neque perpendatur, satis-  
factionem fieri a tutoribus iudex curauerit nec ne, quid? quod ea  
hoc die plerumque exsulat.

### §. XXV.

#### *Absolutitur dissertatio.*

Quum in eo non fuerim, quo omnes ac singulos casus, in quos  
praerogativa aetatis iuxta morae usuras prominere possit, discuterem,  
sed quo huius thematis fundamenta atque notabiliora exempla, a qui-  
bus dein ad reliqua, ni fallor, argumentum duci queat, e fontibus Ro-  
manis deriuarem; benevolos lectors, ut haec modo prolata, non  
benigne, si possunt, suscipiant humanissime precor, studio academi-  
co vix exitum confessim meliora nedum optima curantem facillime  
proposito ac labori succumbere posse perpendendo.

r) L. 3. §. 2. D. de admin. et per. tut. Tit. Dig. et Cod. de magistr. conuen.







Jena, Diss., 1778-84  
X 230 9455



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



Farbkarte #13

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
Inches  
Centimetres

72. DISSERTATIO IN AVGURALIS

1784, 7

DE  
**PRAEROGATIVA MINORVM  
QVOAD VSVRAS  
EX MORA ILLIS PRAESTANDAS  
COMPETENTE**

QVAM  
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO DVCE AC DOMINO

DOMINO  
**CAROLO AVGVSTO**

DUCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE  
ET GVESTPHALIAE LANDGRAFIC THVRINGIAE REL.

CONSENSV  
ILLVSTRIS ET INCLYTI IVRIS CONSULTORVM  
ORDINIS

PRO GRADV DOCTORIS

D. XXV. SEPT. 1784.

PUBLICE DEFENDET

AVCTOR

CAROLVS FRIDERICVS ADOLPH. WEBER  
VINARIENSIS.

IENAE  
LITTERIS MAVKIANIS.

KENERED  
UNIVERS.  
ZV HALLE